

Quod si nullus dictorum angulorum promissorem habuerit, inuenta prius eleuatione poli borealis supra circulum positionis suæ, subtrahemus ascensiones obliquas ipsius, ad eandem poli eleuationem sumptas, ab ascensionibus obliquis significatoris, si in medietate orientali fuerit promissor: aut descensiones eius obliquas à descensionibus obliquis significatoris, ad eandem poli eleuationem acceptis, accomodato integro circulo 360. graduum, quotiens opus fuerit: quod enim relinquetur, directionem ostendit quæsitam.

VIGESIMVM SEPT. PROBLEMA.

Ad quem locum Zodiaci directio significatoris cuiuspiam secundum signorum successionem perueniat, in aliquo anno proposito inuestigare.

SI in radice natiuitatis vel alterius principij fuerit significator in Meridiano, siue *DIRECTA*, supra terram, siue sub terra, a scensio rectæ eius adde numerum annorum transactorum ab instanti talis radicis, id est, pro quolibet anno exacto vnum gradum Aequatoris dictæ ascensio rectæ adijcias, & aggregati tanquam ascensionis rectæ quære arcum eclipticæ, reiecto prius integro circulo si opus fuerit. directio enim significatoris memorati, in anno sequenti eos annos, quorum numerus additus est ascensio rectæ præfata, perueniet ad gradum, qui sequitur immediatè arcum eclipticæ iam inuentum.

Si autem significator fuerit in ascendente, numerum annorum transactorum adde ascensio obliquæ significatoris ad regionem propositam: aggregatum enim erit ascensio obliqua cuiusdam arcus eclipticæ, cui immediatè annectitur gradus, ad quem perueniet directio.

Cum igitur arcum eclipticæ per tabulam regionis agnoscas, non aliter operaberis per descensiones significatoris, si in occidente extiterit: numero enim adiecto descensionibus obliquis significatoris, prodibit descensio obliqua arcus eclipticæ terminali, ad gradum directionis quæsitum.

At si significator extra angulos dictos repertus fuerit, cognoscenda est eleuatio poli borealis supra circulum positionis aut Horizontem eius: deinde ascensionibus obliquis eius ad Horizontem eundem addatur numerus annorum propositorum, si in medietate orientali manserit significator: aut descensionibus eius in eodem Horizonte, si in occidentali parte cœli iacuerit. Hoc enim pacto conflabis vel ascensionem obliquam, vel descensionem arcus eclipticæ, quem immediatè sequitur gradus directionis quæsitus: huiusmodi autem arcum eclipticæ, per tabulam Horizonti significatoris seruientem, ac deinde gradum ad quem perueniet directio, facile concludes.